

085

083

089

dominum Johannem Truchsas, et Dominum Ursum de Rechberg: quartus vero Dominus Johannes Wernher de Cymbern Baro praecesserat eos, ut Venetiis de hospitio congruo provisionem faceret pro dominis et nobis omnibus.

079

094

Decima nona die ab illo loco post sumptum prandium recessimus: et cum juxta monasterium Cellae novae prope Brixinam Ordinis Canonicorum Regularium essemus, Praepositus monasterii nobis occurrit, omnesque in monasterium secum duxit, propter Dominum Johannem Truchsas, quem venerabatur, quia de Waldsee, ubi Dominus Johannes Truchsas residet, assumptus fuerat in Praepositum illius monasterii. Noluit autem dictus Praepositus nos illo die a se dimittere, sed coegit manere, et cumulatissime nos tractavit. Est enim monasterium valde solemne et multum abundans. Vix vidi tot vasa argentea et aurea, sicut in triclinio illius Praepositi. Ecclesiam habet magnam cum pretioso ornato, et Librariam bonam. Sunt ibi viri maturi et observantiales: nunquam videtur mihi me audivisse tam regularem et bonum chori cantum, sicut in hoc monasterio.

074

134

034

184

Vicesima die, quae erat dominica Jubilate, mansimus in divinis officiis in Cella nova, et in prandio; et deinde a monasterio recessimus. Cum festinantia autem Brixinam civitatem pertransivimus, quia dicebatur dominis, quod pestilentia ibi grassaret. Aliis tamen vicibus in ea civitate pernoctavi. Ibi est Episcopatus abundans. Ideo frequenter mortuo episcopo insurgunt rixae et contentiones multae, et primariae perturbationes pro Episcopatu: et tota terra illa interdicto et censuris ecclesiasticis vexatur. Recolo, quod propter illum Episcopatum Dux Austriae Sigismundus, qui hodie est, et tota terra illa interdicto stricto et gravissima excommunicatione fuit punitus: ita quod omnis homo, sive ignoranter sive scienter transiens per terram illam, fuit excommunicatus (**B**). Ecclesia cathedralis est pulchra. Quadam vice in eadem ecclesia steti, dicens cum socio fratre horas canonicas; praepositus autem ecclesiae dominus et canonicus magnus misit capellatum suum ad nos et interrogavit, an essemus fratres mendicantes, et percepta veritate direxit nobis pingue et bonam eleemosynam. Valde bene staret ibi conventus bonorum fratrum. In tota namque dioecesi non est aliquis conventus fratrum

Ende

Anfang

